



Taubmann. ^{apromate}

approbatum semel reprobari non potest 148. 53
quod semel placuit amplius displicere non debet 129. num. 4.

1 Ta
2 Sig
3 Svec
4 Jan
5 Mo
6 de la
7 Eyn
8 ad o
9 Wad
10 Ho
11 de
12 Ra
13 W
14 Em
15 Ba
16 An
17 Ra
18 We
19 de
20 fa
21 N
22 B
23 L
24 de
25 la
26 Li
27 M
28 Ne
29 B
30 T
31 de
32 Sm
33 Dou

L. 9
M. 6 10



2477
77

Q. B. V.
DISSERTATIONUM POLITICARUM
qua
ARTES PACIS

repræsentant
Exemplò SALOMONIS
SECUNDA

umma De
CURA S. POTESTATIS CIRCA RELIGIONEM

Quam
In illustri Academiâ WITTENBERGENSI
ad d. IX. Junii

Publicæ Eruditorum sistent disquisitioni

PRÆSES

M. JOHANNES HANNKE

Silesius, P. Cæs.

ET RESPONDENS

NICOLAUS PITZERUS,

Burgensis Saxo

In Acroat. Minori

Horis matutinis.

WITTENBERGÆ,

Typis Johi VVilhelmi Fincelii,

ANNO MDCC LII.

2112

3 22

ARTES PAPAE

DISSENTIENS

JOHANNES HANNKE

NICOLAI WITZBERGII

WITZBERGII





279.
Væſivimus obiter ſuperiori diſpu-
tatione; utrum *Ebraorum Republica*, An Ebraor.
qualis tempore *Regum* extitit, dicenda *ααμβα- Resp. abſo-*
σιλεια ſit; idq̄vè ratione *administrationis*: hoc ſolutè *Do-*
eſt, *bona* ne fuerit atq̄vè optima Monar- *minatus?*
chia, an minùs? Adduximus iudicium non neminis,
ex diſputatione, quæ habita eſt Cl. *Cōringio* Paraſta-
tâ, iplaq̄vè ejus verba. Nec non locum *Ariſtotelis*, quò
is nititur. deniq̄vè & *Regum* aliquot *Exempla*, qui *jus*
illud propoſitum abſ *Samuele* (quod ſecundum eum ipſum
dominatui proprium eſt) videri poterant exercuiſſe. Nunc
venia dabitur nobis; ſi verbò ſententiam noſtram hâc de re
explicemus, juxta atq̄vè rationes ibi poſitas examinemus.
Diſplicent verò omninò, prout formatae ſunt, duæ illæ
theſes, nec faciunt rationes ſatis. Notamus autem hîc (1) Rem-
publicam *Ebraorum* tunc, ubi locum *laudatum* Ariſtoteles
ſcripſit, *Perſis paruiſſe*, adeòq; non verè fuiſſe *Rempubli-*
cam; nedum ſtrictè Monarchiam aut *Dominatum*. (2) ver-
ba hæc; ſi illud *perſpectum* habuiſſet *Philoſophus* &c. hæcenus
iudicare omninò non ſinunt Ariſtotelem. Adhæc ſaltem
ita loquitur: *Qualia ſunt apud quosdam Barbaros Regna*.
(3) *Judæos* fuiſſe *Barbaros* h. e. aptos naturâ ad ſervien-
dum, itaq̄vè jugum ſervile æqvò pertuliſſe animò; dubita-
ri poteſt. Equidem *liberales* exiſtimârim ac generoſos. (4)
In *quibusdam* & nonnunquam ſaltem *ſummò jure*, hoc eſt,
(ut *Grotii* verba ibidem *exponuntur*) rigidè non regiè im-
perare, non ſtatim inferre *Dominatum*. Nempè exſerere *vine*
proximam tyrannidi, aut publicum bonum ſubditorum, qua-
les *Ebræi* erant, curare minùs primò, ut *vitioſum* arguit
dominatum; ita, uti quis ea ex *habitu* agat, neceſum eſt, ſi
denominari inde debet. Et (5) idipſum jam aliquibus impu-
tandum Regibus erit, non tota *denominanda* inde *Republica*
ſimpliciter: quæ variavit pro diverſis perſonis, imò pro
diverſis temporibus ſub una eâdemq̄vè perſona. Cæte-
rùm concedimus theſibus facilè Imperii *herilis latitudi-*

A 2 nem,

nem, nec hujus solùm, sed Regni etiam propriè dicti; sed utriusque denique, respectu ipsius etiam *potestatis*. (6) Petierint Ebræi regem talem, qualem circumcirca *vicini* habebant (quæ *Grotii* ratio pro hac sententia esse dicitur laudatâ *thesi*); Et illi verò habuerint *Dominos*: certè credendi sunt intuitu sc. *plenariæ* potestatis & externi *splendoris*, non ratione tyrannidis cujusdam aut Herilis Domini, quod fortè unà hæsit, talem voluisse. In universum aliàs nascitur Dominatus vel ex parte *subditorum*, & hoc rursus sive ex conditione ac servili *natura* eorundem; sive ex jure *belli* & captivitate, sive denique ex voluntatis *consensu*, eòq; aut *plenò* aut *mixtò* quem vocant; maximè omnium ex vi subsequenti utrinque *promissi*: vel ex parte *imperantium*, non quidem simpliciter propter neglectum in curandis cum *Religione* (saltem naturali) tum *virtutis* operibus; verùm ob studium *utilitatis* privatæ præ publicâ. Nunc *utrum* horum quæso absolutè affirmabimus de *tota* Hebræorum Republica? Neutrum profectò! Seorsim quod attinet *exemplum Salomonis*, (7) distingvenda in illò sunt prima tempora à novissimis.

An sub Salomone?

II. Quicquid sit; pro *Salomone* quidem argumentor ex verbis laudatæ disputationis: quæ describit propriè dictam *παυβασιλείαν*, quod sit: *Quando unus, qui populum universè sumptum virtute omni civili exsuperat, imperat ad communem utilitatem*. Major illius est: subsumo de *Salomone*, ac pro illo concludo. Certè *Cl. Conringius* ipse *Majestatem bonam* alibi definit: Quòd sit, quæ pro fine habeat *beatam civium vitam*, h. e. *opera secundum virtutem in vita, sufficienter à fortuna bonis instructâ*; haut exclusâ verâ *Religione*. Jam talis aliquandiu *Salomo* fuit. Ergò saltem sub illo obtinuit *παυβασιλεία*, non *Dominatus*.

Disp. de auctor. maj. circa S. θ. II, III.

ARS PRIMA.

III. Sed redeo in viam ex diverticulo, atq; ex hæctenus dictis & exemplo *Salomonis* hoc colligo *dogma*: Curet *Religionè* civilis *majestas* ante omnia, non *naturalem* modò sed *revelatam* etiam & *Christianam*: idq; cum primis *tempore pacis*, quod paululum deduco.

IV. Primò

281

IV. *Primò* omnis majestas, cæterum licet pagana, & jam olim tenebatur, & hodieq; tenetur *colere ipsa* pro sese religionem; saltē *naturalem*, quod probo. Sicut enim, quod sit Deus, notum naturā est: ita aliquis simul de eodem naturalis cum *verus sensus*, tum *cultus* quoq; datur casto ac rectus. Sensus quidem v.g. quod sit *unus, omnipotens, justus, arbiter* rerum humanarum, *judexq;* atq; *vindex* sceleris; cum hîc, tum *post* hanc vitam: sicut contra remunerator bonorum omnium. Plura non addo. Cultus puta, partim animi *mente* interior, partim *gestibus* quibusdam exterior, partim *virtute* ipsa etiam & vitæ honestate. Hæc *pietas* qualiscunqve est, quæ naturaliter omnem decet Majestatem, ut *talem*. Nempè *prestantissimum* atq; optimum quid religio est: At optima illam maximè *decent*. jam eandē quoq; docere cives suos, tum præire exemplō debet. Ergò etiam tam intelligere omnium maxime, quàm exercere. Ex *hypothesi* quod necessaria sit, facile patet. Primò propter *nexum* cum virtute. Nam quæ *religiosa* haut est Summa potestas & pia, neqve *proba* esse potest. Atqui esse omninò virtuosissima debet. Porro, ut *beatitudo* humana, eaq; summa, in virtute summā consistit (haut ex clusa verâ religione), ac nisi hanc matrem filia non sequitur *conscience tranquillitas*: Ita neglectō ipsò *primò*, omnia mala insequi contraria necessum est. Enimvero primò omnium ut in sinu atq; *domi* suæ quàm felicissima sit, laborandum s. potestati est. Quò ipsò, & *utilem* esse ultrò consequitur. sc. conciliat *auctoritatem* spectata pietas, amovet *instidias*, percellitq; longè fortius, atq; *leges* aut pœnarum *metus*. Intellexerunt hoc cordatæ gentes, quæ dederunt operam in *electione* quidem, ut cum virtute hanc pietatem afferret Summa potestas; In regnis *hereditariis*, ut bona *informatione* acciperet successor. Nimirum sine virtute & ita quoq; sine pietate virtutum matre, esse potest Majestas; sed haut *bona* esse haut *optima* potest.

V. *Secundò procurare*, quantum in se est, Majestas omnis, cæterum licet pagana, & jam olim tenebatur, & hodieq; tene-

Incumbit S.
pot. religio
naturalis
pro se

J. Lips. l. 1.
pol. c. III,
III.

Cura ejusd.
publ.

jure Civili. tur Religionē, saltem *naturalem*. Quod rursus probo (1.) ex ratione, à priori quam vocant; invictè, hōc pacto: *Quicquid medium per se, finem felicitatis verè civilis consequendi est, ad ejus curam majestas bona tenetur, jure civili.* Atqui de religione, saltem *naturali*, verum *Antecedens*. Ergo & *consequens*. Signanter dico *societatis verè civilis*, h. e. bonæ atq; optimæ: cujus finis nempè, beata sive virtuosa civium vita est. In reliquis Rebus publicis, ubi vel *voluptas*, vel *potestas*, vel *divitiæ* pro fine sunt, eōq; aut communi, aut *privato*: vel etiam ubi invitis imperatur *Tyrannicè*, æq; non obtinet: cæterum at nec ibi abesse potest vel *opinio* saltem *pietatis*. Quò adeò factum, ut *superstitionis* potissimum ope, quidam cum auspiciati fuerint maxima imperia, tum cōservarint. In exemplū laudat *Nimrodum D. Christ. Matthiæ*, ac *Mubammedem*; illum ex *Scriptura*, hunc ex *Alkorano*, turri utrumq; in hanc rem usos: quibus ego addo tertium ex historia S. Samariæ regem *Rehabeamum*, cum altari ac vitulo. *Pro Syllogismum* pro probanda minori principalis ita firmo. Sine quo *Resp. sive societas civilis*, nec *custodiri* aut *conservari* potest, sed *ne institui quidem aut ordinari, id ipsum in ordine ad finem civilem*, medium est per se. At de religione *saltem naturali*, verum *antecedens*. Ergo. Minorem *Duumviri Politicorum* Plato atq; *Aristoteles* concedunt, quando curam divini Numinis ac *Sacerdotes* *principe loco* requirunt. Notanter adduco *Aristotelem*. Neutiquam enim probo quod *Amurathes* de eo: *Nihil*, scribit, *hac de re* (Religione) *Aristoteles*, qui nullam omninò religionis rationem habuit, ut is, qui ob impietatem *Athenis*, metuens pœna, quâ *Socrates* erat affectus, *Chalcidem* fugerit. Enimverò *Primò*, omninò eam tradit *Aristoteles*, non uno in loco. Deinde si consulamus historias, fugerunt duo illi viri, atq; pulsi exiliò sunt, non quòd *Athei* essent, sed quod innovarent religionem, aut quod idem est, *corrigerent* superstitiones contra jus naturæ *invectas*. De cætero rectè, quoad rem ipsam, sentit ac nobis *concinat Amurathes* d. l. Jam non *jure civili* tantum, sed (2) etiam *naturæ* ad id tenetur. sc. convenit *bona Majestati* naturaliter, vel *aternam* quoque civium

Theatr. Histor. p. 15.
56.

l. X. de LL.

Inst. reg. l. 1.
p. 863.
defenditur
Arist.

Polit. l. VII.
c. IIX. l. I.
Top. c. IX.

jure nature.

civium beatitudinem, quantum in se est, promovere. Atqui cum immortalis anima sit, ex natura constat, eandem, si impie atq; iniquè egerit, post hanc vitam manere pœnas, pro stricta ratione hujus vitæ, & vi divinæ justitiæ; contra, si honestè atq; religiosè, præmia: certè saltem privativè aliquod bonum ex absentia pœnæ. Imò (3) simul jure civili, simul naturali tenetur. Nempè vicarii Dei summæ potestates sunt, imò ipsi Dii, ratione personæ atq; muneris: quod nec gentiles latuit. Atqui Deus juxta virtutem ut ipsissima est pietas, ita istius quam maximè intelligitur propagator ac statutor. Ergò & tales esse imperantes fas est. (4) deinde constat res, quam probare ingressi sumus, à Posteriori etiam ut loquuntur, sive ex praxi, omnium omnino Rerum publicarum; ne unicâ exceptâ. Ex quo fonte profluxisse censendum est, quod multarum gentium reges facti sunt simul Sacerdotes, atq; ipsimet sacrificarunt; puta Ægyptiorum ac Persarum. In modò cultus proculdubio imitati Hebræos: In quâ rem cum primis laudandi mihi Romulus ac Numa Pompilius, nec non Reges Æthyopum: de quorum prioribus Livius, de alteris inter alios Damianus à goes Lusit. loquuntur.

Utrôq; simul.

l. i. Hist. init. de fid. & mor. Æthyop.

Ratio curandi.

VI. Ratio curandi talem Religionem ex se patet: nempe quod fieri debeat, in Junioribus quidem bonâ educatione; in adultioribus doctrinâ ac solidâ informatione; in utrisq; legibus atq; jussis, pro captu tamen civium: propositis cum obsequentibus præmiis, tum immorigeris hæreticisq; pœnis. Eadem planè methodò, quâ in curanda vitæ honestate, virtutûq; moralium cultura procedimus.

VII. Verùm præcipuè ad Religionis revelatæ, sive supernaturalis aut Christianæ, curam publicâ tenetur Summa potestas; idq; vi legis Divinæ positivæ, sive ex voluntate ejusdem, in S. S. codice promulgata atq; exinde cognoscendâ. Quod & ipsum quoq; licebit brevi digressionem explanare.

incumbit Relig. Christianæ

VIII. Primo tribuo officium hoc S. potestati; omni puta, quomodocunq; in civitate pro diversis Reip. formis, jura majestatis habeant. Atq; hóc ipso excludo (1) Menistas, qui insuper habitâ S. potestate, totum quicquid hujus rei est, plebi asse-

Cura



CL. Contr.
d. disput.
9. LIII. seq.

non Exercitium.
de Rep. Ebr.
l. III, c. III.

asserunt, aut omnibus potius ex illa, quatenus derepentè fiunt *illuminati*. (2) *Romano-Catholicos*, qui idem sive absolute uni *pontifici Maximo*, sive certò modo omnibus etiam *Episcopis* vindicant. Cùm tamen uni illi nec *prescriptionis* titulò competant, omnia omninò in cunctis *Europæ* Rebus pp: jura *Sacra*, & *justè*, ac cum *usu* *Germaniæ* eripi possint, ipsissima etiam dignitas *Patriarchalis*: non obstante *Jurium Canonorum* prætextu; quòd cordatè pronunciant gravissimi *Politici*. (3) *Britannos Puritanos*, qui pastoribus atque presbyteris id ipsum, atq; hoc ex *jure quòdam* competere arbitrantur; nequicquam excipientes: *Apostolis* non *necessariam* fuisse civilem *Jurisdictionem*; *Ecclesiam* verò *primitivam* eandem haut *potuisse* exercere: quòd illi quidem *miraculosà* atq; *extraordinaria armati* essent *virtute*; in *hac* ipsa tum potestates *bella indicent* Christo.

IX. *Secundò curam* S. potestati impono, non *Religionis exercitium*; quomodo sub *V.T.* constat aliquos & *Reges* simul & *Sacerdotes* fuisse. Nominare possem *Melchisedecum*; quem *Petrus Cuneus* controvertit. Verùm *Soli Maccabei*, atq; ex his cum primis *Simon* nunc sufficiant. *Samuelem* mitto; ob certos rationes, etiam *Mosen*, ipsos & denique *Gentilium Reges*, quos passim allegant authores: ac hoc postremum quidem ideò, quod de *vera religione* hìc agamus. Quamquam in *Repub.* quoque *Hebraorum* dicendi sunt quidam non tam *exercuisse* religionem, quàm sacras aliquando *conciones* ad populum *habuisse*; qualis cum primis *Noster* fuit *Salomo*: cui alii ex *N.T.* accensent *Constantinum Magnum*, & ex *Patrum* nostrorum ætate (de *Mauritio Hassiæ Landgravio* aliisque; ut taceam) *Georgium Anhaltinum*, excellentis m. principem, qui concionatus sæpiuscule est in vicina *Deßavia*. quantumvis is ipse propriè atq; ex officio potuerit *exercere* religionem; quippe simul & *Magdeburgensis* & *Misnensis Præpositus*. Perinde atq; vi ejusdè juris, eandè & ipse quoque *Papa Romanus* hodiè, quatenus *Episcopus* & *Patriarcha* est, imò omnes omninò principes *Ecclesiastici*, sive *Episcopi* sive *Archi-Episcopi*, debebant *exercere*. Non disputandi in præsens locus est; Utrum à
Christo

2185.

Christo disertè cautum sit; quò minùs sub N.T. hodiè *prin-*
cipatus atq; Episcopatus in eadem persona *concurrant*. Uti ex
Dd. non pauci illa duonon hodiè esse *compossibilia* (loquimur
cum illis), exinde arguunt: quòd jam sub V.T. facta *reforma-*
tio est: quò pacto dicendum, *Maccabæos* fuisse extraordina-
ria exempla: adeoq; duo nituntur probare. *Primò* quidem,
non *debere* S. Potestatem prædicationem verbi subire, par-
tim ob functionum harum disertam *distinctionem*, partim
ob *Saulis* atqve *Ufia* exempla, in quos severè animadversum
est, ob munerum horum confusionem. *Secundò*, nec com-
modè quidem *posse*, exinde; quòd utriusq; muneris diversa
media sint, diversa objecta, diversa deniqve *effecta*. Ad nos
hæc propriè non pertinent: aliàs disquiri de *primò* posset, &
ipsum adeò quæsitum esset. *Quà secundum*, dubitares, u-
trum ad hanc arenam quadrent *exempla*. Nec (*tertiò*) fir-
miter satis ex his confici videri posset *conclusio*. H. Grotius
ex descriptione officii Sacerdotalis in N.T. hoc saltè infert;
Non posse commodè & pro decoro, imò nec sine desultoria quâ-
dam levitate ab uno homine duo illa sustineri. Nos, ut dictum,
non nisi *curam* à S. potestate requirimus; sed publicam illam
& *solennem*, ac quæ conjuncta cum auctoritate quâdam sit: cæ-
terum enim etiam singulis sua hîc incumbit omninò.

X. *Tertiò* pro fundamento substerno auctoritatem & *vo-*
luntatem divinam, non præcisè *jus Civile*: vi istius enim tan-
tùm ea potest atq; debet, quæ ad propositum Reipubl. *finem*
consequendum ducunt atq; conducunt; ac maximè, quæ per
se ac simpliciter eò necessaria sunt: magis n. omninò il-
la debet, quæ ad naturam ipsius felicitatis civilis absolutè
pertinent; minùs, quæ ad *benè* esse aut melius esse tantùm
quocunq; modò faciunt. Jam formâ negante ita *concludo*:
Quicquid non facit ad finem civilem consequendum tanquam
medium, ad ejus curam S. potestas strictò jure civili non tenetur.
Atqvi de fide *Christiana* propriè sumpta, & quatenus tali, ve-
rum *prius* est. E. & *posterius*. *Propositio altera* patet: nam ne
quidè omnia *naturaliter* de Deo *nota*, aut cognosci quæ *possunt*,

B

necessa-

Luc. XXII,
25.

An concurre
re possint
Princip. &
Episcopatg.

de J. S. p.
circa Sacra
l. I. c. II p. 36.

Ex divinâ
volunt.

Brev. c. XX,
θ. 5.

quæ variè
significata.

necessaria huic fini sunt; quod, quantum ad hoc, non malè disputat *H. Grotius*, verbò: ad æ. ac quæ suprâ naturam est beatitudinem obtinendam per *se* facit illa, neutiqvam ad civilem. *Potest conservari* (rectè ex hóc principio scribit *Excell. Dn. D. Hülfemannus, Patronus & Præceptor noster suscipiendus forma regiminis Politici*), sine contactu potestatis *Ecclesiasticæ, specificè & ab orthodoxa Ecclesiâ sic denominata*. Ex quo consequitur hoc; quòd, si propriè loquamur, neutiqvam possit aut debeat *imperari*: & rursus, quòd *hæreticos* circâ illam liceat *tolerare*, quin conveniat etiam, cæteris paribus: ex eò, quòd quatenus talis, fini civili haudquaquam deroget.

XI. Dico, *tenetur* S. Potestas lege & voluntate divinâ: perinde sc. ut cæteri homines, tam quoad vim *dirigentem*, quæ culpam, quàm quoad *cogentem*, quæ pœnas respicit. Quod per se clarum est. Jam hæc *DEI voluntas* significata fuit S. potestati multifariam; tam *implicitè, universaliter atq; indirectè* (ut loquuntur), quàm *explicitè, singulatim ac directè*. *Implicitè ac universaliter*, quatenus inde ab *origine*, non *Reipubl.* sed *mundi*, cœlestis veritas *promulgata* fuit singulis ætatibus, communissimâ quâdam ratione: partim ubi *primis parentibus*, stirpi humanæ gentis, *DEUS* variarum rerum doctrinas proposuit atq; exposuit; qui illas ipsas *per manus* qs. tradiderunt posteris; tum ubi denuò atq; *solemniter*, *Noacho* atq; tribus *ejus filiis*, easdem commendavit idem *DEUS*: partim ubi tempestate *Novi fœderis*, per universum terrarum orbem *prædicata* est religio *Christiana*. Quâ *Oecumenicâ* voluntatis suæ *manifestatione* *DEUS*, ut singulis hominibus, ita singulis *majestatibus* geminam induxit *obligationem*; Illis quidem, uti pro se ac suis privatim, his, uti *publicè* etiam curarent. *Singillatim*; quatenus animos S. Potestatum, nunc *Patriarcharum ac primogenitorum* (quos hoc fine longævos volebat), *præconiò*, magis minusvè, nunc eorundem *famâ* saltem, nunc *occasionibus* audiendi, nunc *Antecessorum exemplis*, perpetuùm verò *Ecclesiæ atqve Reipub: Ebrææ* in illu-

2187
illustri ac velut in specula positæ exemplō, advertit & pro-
vocavit. *Explicitè tandem & directè atqve disertè, quatenus*
S. Potestatibus, ut talibus, æqvè *N. fæderis* tempore quàm V.
in Scripturis utriusq; θεοπνεύματος, hanc *imposuit* curam; ut do-
cent Theologi.

XII. Quâ ratione falsa omninò erit *Pontificiorū* exceptio:
quasi nusquam legatur S. Potestatibus sub N. T. sacrorum cu-
ra *divinitus mandata*. Primò inquam, omne mandatum di-
vinum, Positivum ut vocant, quod *morale* in se continet,
atqve derivatum ex fonte *naturæ* est, propius remotius;
præterea datum regibus Ebræis hac *intentione*, ut regula sit
Catholica (de quâ Theologi); id ipsum etiam, ut *Positivum* est,
obligat S. Potestates sub N. T. Atqvi præceptum *de curanda*
Christiana Religione tale est. Ergò, seqvelam agnoverunt ex
ipsis *Pontificiis* cordatiores, juxta atqve ex *Reformatis*. Ex *illis*
Georg. Casander, cujus egregia in hanc rem verba sunt:
Illud, inquit, in hac quæstione extra controversiam esse debet,
non minorem esse nec inferiorem potestatem Imperatoris, Regum
seu principum Christianorum in Republ. Christiana, quàm olim
priscorum Regum in Rep. Israelitica &c. Ex *his Angli, S. Ecclesia*
Anglicana: quæ excommunicandos illos censuit, qui affirma-
rent, regem Angliæ non eandem habere in causis Ecclesiasticis
authoritatem, quâ usi sunt pii Ebraorum Reges: notante *H. Gro-*
tio &c. Clara altera propositio est. Injuncta enim illis
erat *lectio Pentateuchi*: inter alia hoc *sine*, ut leges divinas
sartas tectasq; *conservarent*: quin *disertè* legis custodia iis in-
jungitur; non tantùm *secunda*, sed *prima* etiam tabula,
atqve cultus divinus, isq; *publicus*. Quo nomine passim
CHRISTI ac uncti *DEI* audiunt: quæ vel sola appellatio
eos haut obscure commonere potuit de *cure* hujus paribus;
ut *alibi docetur*.

XIII. Quò stante, frustrà erit excipere; licuisse hoc tantùm
facere, aut *consuetudinem* fuisse olim. *H. Grotius* Jus atqve
legem divinam inter cætera exinde probat. (1) quòd hoc
præceptum regibus dicitur, *quatenus* reges sunt (2) quòd

B 2

qui

contra Pon-
tif.

Consult.
art. XVI.

de J.S.P.
circa S.p.13.

Deut. XVII,
18.

contra Pon-
tif.

d. l. p. 9. seq.

Notatur
Grotius.

B. Jacob.
Mart. l. II.
Pol. CXIX.
p. m. 649.
Dn. D. Hüls.
l. c.
Divina vo-
lunt. pecu-
liare fun-
dam.

qui falsam Religionem non everterunt Reges Judæi, culpantur, qui everterunt, laudantur (3) quòd rationem CHRISTO reddituri sint (Ecclesiæ Domino), ut ex ipso secundò intelligere liceat. quæ duo postrema, rectè quidem confirmantur ex S. autoribus ibidem; cæterùm haut firmiter asserunt thesin atque evincunt.

XIV. Secundò, disertè omninò etiam atq; expressè, hæc cura legitur demandata S. Potestatibus sub N. T. (ut demonstrant Theologi) tam in scripturis N. quàm V. Instrumenti: cuius rei documenta, h. e. oracula divina, adducta lege sis apud eosdem.

XV. Jam etiam ex alio fundamentò probari potest; voluntate & lege divinâ ad hanc curam obligari S. potestatem: ex hypothese nempe, quâ ex communi nostratum Theologorum sententia, Magistratus Politicus immediatè (cum ipsis loquimur) à DEO institutus atque ordinatus est, perinde atque status Ecclesiasticus aut conjugalis: Et quidem inter alia in hunc finem, uti ab eodem per externum Religionis regimen & curam, producat in subditis spiritualis, æterna, & quæ suprâ naturam est beatitudo, concessâ, id ipsum faciendi facultate, ac publicâ, licet externa, jurisdictione, quæ pars velut sit ipsius potestatis civilis: perinde atque à prima origine, copia facta patribusfam: quatenus talibus est, subditos suos saltem privatim, informandi, eorundemq; mores ad hunc finem dirigendi: capitibus verò familiarum atque primogenitis insuper hæc (usque ad Levitici ministerii institutionem & tempestatem Mosis): ut viâ illuminativa (quemadmodum loquuntur), h. e: per prædicationem publicam & solemnem, itemq; Sacramentorum celebrationem, eosdem eò perducerent. Ita sparsim Excell. Dn. D. Hülssem. Locò de Mag. Polit. Sicut, inquit, potestas maritalis, patria, & Oeconomica in singulis familiis non solum origine sua est immediatè divina, sed etiam sine suo divinitus instituto, fuit Ecclesiastica &c. Ita potestatem civilem Politicam (legis lativam, directivam, & Coercitivam) omnium subditorum instituit

2189.

tuit DEUS eadem immediatione quâ instituit statum Ecclesiasticum & conjugalem, non per primigeneam aut originalem collationem hujus potestatis in Remp. quæ lumine naturæ, & multiplicatione hominum edocta, deinceps consultum duxerit &c. — Cui annexa pars jurisdictionis Ecclesiastica, ab objecto sic vocata, scil. directiva externa. Unde falsum (1) quod à DEO tantum approbata (atque autoritate & benedictionibus munita, ab hominibus autem instituta: contra Trigl. d. l.) (2) quod nulla ratione pro Objecto & fine habeat finem supernaturalem, sed tantum naturalem & civilem, quod est contra potestatem magistratui à DEO collatam, jure divino scripto: quod doctus Plato ignoravit, quod Aristoteles nescivit. — Concessio, quod per lapsum facultas consequendi finem supernaturalem per vires connatas exspiravit, non exspiravit tamen in potestate patriâ Oeconomica aut Civili, obligatio intendendi hunc finem. Potestas directiva magistratûs Ecclesiastica est (1) Intuitu finis à DEO huic potestati statuti; qui non absolvitur, solâ tranquillitate & honestate vitæ civilis, sed introductione & conservatione omnis pietatis 1. Tim. II, 2. h. e. unici ejusque Christiani, puri & salvifici. (2) Respectu objecti circa quod versatur potestas illa directiva magistratûs civilis: quod est res seu negotium Ecclesiasticum aut divinum, ad quod ordinatur illa potestas &c.

XVI. Quò præsupposito, dicendû, quod ex jure divino peculiariter prorsus hæc cura incumbat S. potestatibus: Quæ verò ratione potestas atque status Politicus immediatè à DEO institutus sit; aliò locò dicendi occasio erit.

XVII. Nunc, cum jure divino S. potestati hæc circa religionem Christianam cura incumbat, istud quærimus saltem; an non jure etiam naturæ? quod asserere haut dubitamus, acceptò rite termino juris juxta ac naturæ. Capiatur verò hîc naturale non pro eo, quod immediatè ex principiis naturâ hodièq; notis fluit; verum pro eo, quod congruit ejusmodi principiis, certòque ex iis, quòcunque pacto, deduci potest, quodque adeò opponitur arbitrario:

quò sensu iterum accipi potest *bifariam*: vel quatenus inde ex primæva creatione humanæ naturæ hodiènum adhæret quædam obligatio, vel quatenus ex hodiernæ naturæ principiis obligatio ad illam, eò quo dictum est modò, elici atque deduci non repugnat. *Priori* significatione obligatur ex jure naturæ S. Potestas, (1) ad promovendum in civibus illum DEI cultum, qualis ante lapsum extitit; vice Patrum atque majorum, qui olim superiores in hominum cætibus erant; ut maximè nulla salutem consequendi via, nulla DEUM colendi ratio vera, revelata de novo fuissent. (2) Ad *intentionem*; *finem* summum, propter quem creatus homo primitus erat, in suis quoque quantum in se est, producendi &c. Quamquam fatemur, hanc loquendi formam in rigore sumptam, adeoque minùs esse usitatam. *Posteriori* significatione, ex jure naturæ tenetur Summa potestas ad Curam religionis Christianæ, quatenus ea nititur *voluntate DEI*, sive *cognitâ* sive *cognoscibili*: ad quam teneri naturaliter omnes homines, per se intelligitur. Et cognoscibili quidem (1) ex solâ *naturâ*, hoc argumento: *Quicquid liberâ & positivâ DEI voluntate, tum circa cultum ejus, tum circa beatitudinem hominis sive statum post hanc vitam revelari potuisse non repugnat, sed potius quatenus ex natura cognoscibile est; ad illud pro se inquirendum, ac, siquidem datur, inter cives introducendum, tenetur S. potestas, jure naturæ.* Atque cum constet, parùm de DEO sciri, cæterùm (vel ex sapientum judiciò) immortalem esse animam, darique post hanc vitam aliquem ejus statum felicem; non repugnat, per naturam intelligi, DEUM, quippe summè bonum, per certum hominum genus, cum clarius suam ipsius *naturam*, tum *modum* sese colendi, tum denique distinctam ad sempiternam beatitudinem perveniendi *rationem* potuisse revelare, ac fortè voluisse, ac reapse revelasse: Ergò ad hæc inquirenda prosequenda atque curanda, tenetur S. potestas, jure naturæ. Patet Major. Nam mortalium capacissimos *prestantissimosque* præsupponimus gentium

291.

gentium gubernatores, prætereà summè bonos, qui quicquid beatitudinis uspiam est, sibiq; & subditis suis obtingere, unicè velint. Patet *Minor*. Namque per solum lumen naturæ profundius hæc cogitare impossibile haut est: v. gr. Veram beatitudinem animæ post hanc vitam, collocandam esse in exquisitâ facultatum verè humanarum perfectione: ex parte quidem intellectûs, in objecti cognoscibilis excellentissimi ac summè boni (puta DEI) repræsentatione; ex parte appetitûs, in purissimo amore ac gaudio, ex liquidissima S. Boni intellectione oriundò: quanquam non nisi subobscurè, & probabiliter, ac sub hypothesis fieri hæc posse existimemus. (2) Vi revelationis & voluntatis divinæ generaliter cognitæ; hoc argumento: *Quicquid DEUS velle intelligitur voluntate positivâ ab omnibus hominibus, istud promovere in suis civibus tenetur S. potestas, jure naturæ: Atqui DEUS respectu omnium hominum velle intelligitur beatitudinem tanquam finem; fidem verò Christianam tanquam medium obtinendi finem E. Minor ex superioribus patet.* Tùm etiam vi voluntatis divinæ specialis, sive mandati directè hæc de re S. potestatibus dati; hoc argumento: *Quicquid DEUS præcepto peculiari injungit S. potestatibus, ad illud observandum S. potestates tenentur jure naturæ.* Atqui curam religionis Christianæ. E. Minor ex superioribus constat. Imò (3) Vi beatitudinis, tanquam S. Finis; hoc argumento: *Quicquid tanquam medium facere potest tam ad æternam, quam temporalem civium salutem, ad illius curam publicam S. potestas tenetur jure naturæ.* Atqui de vera religione Christiana verum antecedens. E. & consequens. (4) Denique sub ratione boni, ac summè quidem boni; hoc argumento: *Quicquid maximè bonum est, ad illud promovendum in inferioribus sibi subjectis, maximè tenetur S. potestas, jure naturæ.* Atqui talis est religio Christiana. E. Patet major. Nam quemadmodum ad idem quisq; in universum tenetur, ac cum primis superior, ipsò jure naturæ, magis sc. minusve, prout magis minusve potest; putâ maritus in uxore, patres in liberis, herus in

in servis, in omnibus paterfamilias: ita cūmaximè S. potestas teneri intelligitur, tam quòd omnium maximè potest, quàm quòd eminenter illa omnia sub se cōprehendit. Id quod vel de *virtute ipsa* verissimum est. Aut si mavis, ita arguo: *Quicumq; jure natura, quantum in se est, in subditis tūm æternam, tūm spiritualem hujus vitæ, si quæ datur, beatitudinem tenetur producere, ille ipso jure natura quodq; in iisdem tenetur procurare Religionem Christianam.* At qui de Summa potestate verum Antecedens. E. Et consequens. *Majoris sequelapater.* Nam qui tenetur ad *finem*, tenetur etiam ad *medium*: maximè ubi unum illud saltem est, ac summè *necessarium*, ac *divinitus præscriptum*. Minor ex superioribus liquet.

Etiā jure gentium.

Certō sensu.

XVIII. Quòd si religionis Christianæ cura incumbit S. Potestati jure naturæ, eò quo dictum est modò; annon etiam *jure gentium*? Omnino. non illò quidem *secundariò*, quod vocant, atque *orto*, sed *primævo* sive *primariò*, quod ipsissimum *natura* jus est: in quantum ex *sensu communi*, omnium gentium Rectores intelligere possunt; Si quæ detur Deum colendi ratio, divinitus per ipsos homines hominibus revelata, illius promulgationem, regimen publicamq; curam atq; tutelam *ad sese* pertinere: non tantum quòd circa eum omnium maximè *possint*, verum etiam quod *debeant*: quippe respectu *muneris* ministri Dei atq; vicarii; respectu *finis* supremi omnis generis civium beatitudinis Arbitri, procuratoresq; & architecti. Quamquam fatendum rursus, non receptas usu has loquendi esse formas: cæterum non malè quis fortè ita philosophabitur.

Macte sacer Præco PITZERE: *heus, Relligionem vel quodq; præcipere, haut relligione caret.*

Percipite, ô Reges, præcepta; unumq; agitate Relligionis opus, Relligionis opus.

Privati num fortè pudet quòd verba præimus?

factò en vos Regum Rex SALOMO ipse præit!

EXIMIO DN. RESPOND.

Convictori Honor.

L. M. Q.
P R Æ S E S.

libri Studioforum in Musaeum collati, pro pignore non sunt pag. 1019.
donata à Patre Studioforum causa Filio, non sunt post mortem Patris
conferenda. pag. 1263. aliter in dote se habet.



00 A 64/14

ULB Halle 3
002 928 094



R

10 17





B.I.G.

Farbkarte #13

2077

Q. B. V.
DISSERTATIONUM POLITICARUM
qua
ARTES PACIS

repræsentant
Exemplô SALOMONIS
SECUNDA

umma De
CURA S. POTESTATIS CIRCA RELIGIONEM

Quam
In illustri Academiâ WITTENBERGENSI
ad d. IX. Junii
Publicæ Eruditorum sistent disquisitioni

PRÆSES
M. JOHANNES HANNKE

Silesius, P. Cæs.

ET RESPONDENS
NICOLAUS PITZERUS,

Burgensis Saxo
In Acroat. Minori
Horis matutinis.

WITTENBERGÆ,
Typis Jobi VVilhelmi Fincelii,
ANNO MDCC LII.

211

3 22

